

Publication/Creation

June 1949

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/v4fcjgpk>

License and attribution

Wellcome Library; GB.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

ut ne quis cunctetur ob hæc & circa inuentionem pigrescat, atque aut citra experimentū nobis credat, quod minime expetimus, aut nos suspectos habeat tanq; qui perperam adscribamus, quod multi expositores fecerunt. Verum illi propterea libros silent, ac uolentes cælāt ex quibus singulatim adscribant dictiones, nos uero non ipsos solum libros, sed & locos ac capita indicamus, quo quisque quod uelit facilius reperire queat. Scimus enim quod firmorem fidem habebunt eorum quæ dicimus, qui totum libri locum legerunt, ex quo dictionem adscribimus. Cæterum prædictorū ægrotum mentionem nos facere sermonis sequela coagit, quum uellemus ostendere, iuxta quem modum aliquando solum delirium spirādi difficultatem operetur, contraria affectione superata, quandoq; uero penitus superatum etiam ipsum, exile reddatur. & aliquando quidem ut plurimum exuperat, raro intercidente diuersa spirandi difficultate. aliquando uero exuperatur, atq; ipsum adeò suam difficilis spirationis speciem interlabētem ostendit.

Et iam sanè perspicuū est id quod à principio dicebamus, nempe quod, cui magnus & rarus est spiritus, huic omnino etiā deliriū. Cui uero delirium, huic non omnino magnus & rarus est spiritus. Porrò quod ex propositis adhuc deest, id sermoni addamus, omnium ægrotorum qui in primo & tertio morborū scripti sunt censura facta, à primo usq; ad ultimum omnium, eodem ordine sermonem facientes, quem ipse in scribendo obseruauit. Primus itaq; omnium Philiscus, quod quidem delirari, ac magnum et rarum spiritum habuerit, superioribus sermonibus demonstrauimus. Quod uero neque dolor quispiam ipsi fuerit circa ullam aliquam partem, ex quibus affectis paruam ac densam fieri respirationem dicebamus, nunc ostendemus, ipsa etiam hic ueteris dictione in memoriam reuocata, quæ sic habet.

Splen eleuatus est orbiculari gibbositate. Minime enim etiā alias dolorosum est uiscus splen, neque septum transuersum premit, similiter ut hepar & uenter, nisi maximum sanè habeat tumorem circa caput, quod in Philisco non erat, & ob id splen ipse sufficiens minime erat, ut spirandi difficultatem ex delirio inductā superaret, quum neq; dolorosus esset, necq; septum transuersum premeret. At uero Silenus qui deinceps scriptus est, cuius item silenus II. in superiorib. sermonibus post Philiscum mentionē fecimus, quod rarum & magnum etiam ipse habuerit spiritum, & quod delirari, isthic ostendemus. Quod uero nullam affectionem habuerit, quæ delirium superare potuerit, hoc loco demonstrabitur. Etenim tertiae diei ipsius morbi enarratio sic scriptum habet. Ilij distentio ex utrisq; oblonga ad umbilicum submolilis. Igitur & ad umbilicum secedebat distentio, & neq; dolor quispiam, neque tumor memorabilis erat. Quin & quod in fine dictum est, Ilij tremor, neq; ipsum sufficiens est difficilem ex delirio respirationē alterare. Dictum

Concludit ras
rum & mag-
num spiritum
esse deliranti-
um, sed non e-
contra, delis-
ros omnes ras-
rum de magnū
spiritū ducere
Ordo ægrot-
orum
Philiscus I

*splen minime dol
nisi max rapr. p.*